

=

21

tuendo ita conabimur efficere, ut rem ipsam mecum peragat Gymnasii Sub-Rector, *Joh. Michael Tzschoppe*, V. Cl. Examine finito, indultu ac permisso senatus ampl. ad dicendum prodibit juvenis humanissimus, in academiam discessurus,

CAROLUS AUGUSTUS BELLMANN, Gorl.

*stipendii Hilliani* beneficio a senatu nuper auctus, qui brevi oratione habita *Patronis* grati animi officium præstabit. Quibus quidem solennibus nostris ut *Patres amplissimi* interesse velint, submisse observanterque rogamus.

---

Totius Gymnasii disciplinam per omnes classes alio tempore descriptam, superiori anno ex parte mutatam, denuo nuper ita indicavimus, ut scholarum in tribus classibus superioribus habendarum tabulam adjiceremus. Hanc igitur novi curriculi scholastici designationem nunc quidem licet referre tantum ad classem I. & secundam, quæ, uti in hoc Gymnasio disjunctæ sunt, ita diversis etiam lectionibus sibi cuique propriis & accommodatis instruantur necesse est. Sed in his ipsis nemo nescit rerum scholasticarum peritus nonnullas esse doctrinæ partes, qua rerum genus, immutabiles ac perpetuas: quæ, quia efficiunt ipsam quasi encyclopædiam, nunc inchoantur, nunc longius provehuntur, aut denuo repetuntur, ut doctrina de religione christiana, historiæ ambitus, geographia, mathesis, & quæ sunt hujus generis aliæ. Hæc igitur disciplinarum genera etsi quotannis reperiantur in scholarum indice, tamen non ita sunt tralaticia, ut magistri idem semper agant & eandem quasi cantilenam decantent. In iis autem artium disciplinis, quæ sibi invicem succedere possunt & debent, nunc intermittendis nunc repetendis, & in librorum, qui leguntur vel rerum causa, vel ad parandam linguarum cognitionem & usum, delectu vario, etsi omni tempore id sedulo spectavimus ut efficeretur disciplinarum quasi concentus quidam & rerum tradendarum nexus cum librorum græcorum & latinorum argumentis; sæpe tamen vel hæc ipsa similitudinis & consensionis cura nonnihil difficultatis habet, vel impeditur cætus scholastici conditione varia & mutabili: cujus maxime habenda ratio est in rerum ac librorum delectu, ne nostro magis animo & studio indulgisse videamur, quam discipulorum rationibus

B 2

con-